

staret in crate, ut linamento caementario summitatem testudinis consolidaret et poliret, ligno quodam everso casualiter ab ipsa summitate oratorii usque ad ima pavimenti gravissime corruit. Capite vero et caeteris membris collis vitalē spiritum solummodo vix inter praecordia trahebat. Et revera mirum fuit, cadentem non fuisse membratim divulgum et subito vita privatum, utpote qui a tanta celsitudine testudinis gyrova revolutione de crate in cratem cecidit et postremo terrae tota mole corporis allisus fuit. Concurrerunt caeteri fratres ad triste spectaculum et videntes eum usu sensus et motus esse privatum festinanter cum lacrymosis vocibus accesserunt ad amicum fidelem Conradum indicantes eventum, postulantes auxilium. Quorum precibus motus compassivo cordis affectu ad sanctae orationis subsidium confugit. Orando enim divinum auxilium, quod solum superesse vidit, obnixius pro sospitate infirmi requisivit. Et dum oraret, audit vocem domini loquentis ad se et dicentis: „Saepe vexatio sola intellectum dat auditui. Et ideo hunc propter sumptuosas sculpturas et monstruosas vanitates, quas facere solet, corripui. His etenim rebus quasi simulacris in oratorio positis oculos et animos intuentium suspendunt. Et dum his curiose attendunt populi, corde a me divisi sine benedictione mea ab oratorio meo recedunt inanes et vacui. Ecce nunc“, inquit, „contra ipsum virgam correctionis meae parum pervibravi et in momento ipsum propter te sanitati restituam. Dic tamen correpto, ut ab his vanitatum spectaculis resipiscat, ne ipsum postea gravior ultio feriat.“ Quibus auditis mox ille fidelis mediator ad laesum festinavit et divinam comminationem auribus eius diligentius inculcavit. Et confestim idem Henricus, qui fuit toto corpore conquassatus, mirum in modum restitutus est integre sanitati. Sicque ille de terra consurgens sanus et incolumis apparuit et ad opus suum rediens luctum in gaudium commutavit. Porro ne cuiquam videatur divinae comminationis verbum sine causa fuisse emissum, audiat transgressionis tristem eventum. Postea enim, cum idem Henricus in venerabili matre nostra, hoc est in Veteri Monte¹⁴, laborans a prohibito non abstinet, continuo plaga caecitatis a domino percussus est et lumine oculorum usque ad mortem caruit¹⁵.

14) Zisterzienserklöster Altenberg nordöstlich von Köln.

15) Zum Eintrag eines Henricus Lapidica in einem Altenberger Memorialkalender aus dem 14. Jh. vgl. MOSLER, Altenberg (wie S. 18 Anm. 11) S. 217.